

CUSUS A CAROLO V. IMP. GAN-

davensibus ob defectiones crebras punitis, in-
que ordinem redactis. Anno

Christi 1540.



UR Imperator Carolus animadvertendum in Gandavenses esse censeret, causas benè multas habuit: statuit comprimendam inprimis libidinem Principibus suis resistendi: id quod in Carolo Burgundo fecerant Proavo suo: in Philippo abauo: in Ludovico Flandriæ Comite proavo materno: in se tandem ipso. Venit sub id tempus in Belgium Ferdinandus Romanorum Rex, comitatus duabus Germanorum peditum legionibus, cum quibus, ut & sorore Regina Maria, omnibusque ferè Belgarum Proceribus, Gandavum vigesimo quarto Februarij intrat: paulò post subsequente Cæsare. Statim ad omnes Urbis portas murorumque ambitum, custodiæ, ne quis elaberetur, collocantur. Tum evocato Procerum, Senatusque Flandriæ concilio, advocatum fiscalem accusationem contra rebelles instituere jubet Imperator: quod cum prolixâ oratione fecisset, ostendit sub finem quam variis rationibus crimen læsæ Majestatis commississent, privilegia idcirco omnia, atque immunitates, ob seditionem, conjurationem, ac rebellionem amisissent, vitæ bonorumque omnium pœnam incurrissent. Adhæc Gandensium advocatus, ex scripto prolixè responder: sed frigide atque enervè: quod cum ipsemet factis sentiret, conclusurus, quæcunque ad movendam commiserationem facere poterant, adfert, adque solam Cæsaris innatam clementiam Gandenses confugere profitetur. Cæsar diu ac maturè, cum proceribus habito super lite consilio, tandem pridie Calend. Maij in publico senatus confessu, cæteris paulò altius eminens, sententiam condemnatoriam pronunciari jubet, quam